Quaestiones Annaeanae.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in

Universitate Christiana Albertina Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Reinhold Hess

Oelsiensis.

Adversarii erunt:

E. Klostermann, Dr. phil.
H. Rieper, cand. sem.
H. Rodenberg, stud. phil.

Kiliae.

Ex officina H. Fiencke.

MDCCCLXXXXVIII.

No. 9.

Rektoratsjahr 1898/99.

Referent: Prof. Dr. **Bruns.**

Zum Druck genehmigt:
Prof. Dr. **Körting.**
z. Z. Dekan.

Ivoni Bruns

sacrum.

Index*).

*) Numeri citationum in textum recepti ad eam editionem referendi sunt, quam instituit H. J. Müller (Vindobonae 1887).

I. De consuetudine admittendi populum.

1.

Inter declamatores, de quibus in Senecae libris agitur, quidam insignes sunt more declamandi admisso populo. Qui mos quibus fere temporibus exortus sit, significari videtur, cum Seneca de Labieno dicit:

declamavit non quidem populo, sed egregie, non admittebat populum, et quia nondum haec consuetudo erat inducta et quia putabat turpe ac frivolae iactationis 448,10.

Labieni igitur aetate haec consuetudo nondum erat inducta; quare quibus temporibus ille viguerit, quaerendum est.

in hoc primum excogitata est nova poena; effectum est enim per inimicos, ut omnes eius libri comburerentur 449,12.

non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monimenta se maiorum suorum ferri iussit atque includi 450,13.

Haec Teuffel [1]) ratione non apposita putat facta esse circa annum 765. Mihi vero, quoniam apud Senecam haec quoque exstant:

Cassi Severi, hominis Labieno invisissimi, belle dicta res ferebatur illo tempore, quo libri Labieni ex senatus consulto urebantur 451,3,

ad priores annos recedendum esse persuasum est. Namque si illo tempore, quo libri Labieni urebantur, Cassius Severus Romae iam non moratus esset, ne hoc quidem fieri potuit, ut eodem illo tempore de hoc senatus consulto facete diceret et dictum eius Romae ferretur. Cassius Severus autem in Cretam

---

1) Teuffel-Schwabe.[5] Geschichte der römischen Litteratur 267,10.

remotus in saxo Seripho consenuit annoque 785 XXV exilii sui anno mortuus est[1]). Itaque fere anno 760 videtur exul factus esse, Labienus vero ante id tempus diem supremum obiisse. Opinor autem Senecam quoque, qui sciret belle dictam rem Cassi illo tempore circumlatam esse, tunc Romae fuisse neque hanc narratiunculam ab alio quoquam accepisse. Senecam autem ante Asinii Pollionis mortem i. e. ante annum 757 iterum Romam venisse constat. In qua quaestione ut paululum moremur, Koerber[2]), quod reditum anno 756 factum esse suspicatur, nimia audacia uti videtur. Anno enim 752 Seneca Romae non videtur fuisse[3]). De insequentibus annis, quantum scio, nihil traditum est. Constat igitur non plus quam Senecam intra annos 752 et 757 Romam rediisse. Jam cum de eo tempore, quo primum Seneca Romae versabatur, non cogitandum sit, quia Labienus aut Pollioni superfuit aut certe senem eum cognovit — dixit enim de eo:

ille triumphalis senex ἀκροάσεις suas numquam populo commisit 225,7. —

Labienum intra annos 752 et 760 mortuum esse censeo. Ad hanc igitur aetatem referendum est illud: „*nondum haec consuetudo erat inducta.*"

2.

Quo constituto sequitur, ut, quemadmodum haec verba interpretanda sint, disseramus. Quod puto his duabus rationibus fieri posse, ut aut negemus illis temporibus has declamationes institutas esse, ad quas populus admitteretur, aut hanc consuetudinem declamandi admisso populo a nonnullis declamatoribus exercitatam esse dicamus, sed nondum ab omnibus aeque receptam fuisse.

declamabat autem Haterius admisso populo ex tempore 227,7.

Qui cum anno 777 usque ad XC prope annum consenuerit[4]), si ante annum fere 760 admisso populo non declamasset, senex fere septuaginta annorum hanc consuetudinem recepisset; quod

---

[1]) Teuffel-Schwabe.[5] 267,11.

[2]) Joseph Koerber, Ueber den Rhetor Seneca und die römische Rhetorik seiner Zeit. Marburg 1864. pg. 6.

[3]) Otto Gruppe, Quaestiones Annaeanae. Sedini 1873, p. 25.

[4]) Teuffel-Schwabe 267,5.

verum esse vix cuiquam persuadebitur. Huc accedunt, quae de Albucio Seneca dicit:

instatis mihi cotidie de Albucio: non ultra vos differam, quamvis non audierim frequenter, cum per totum annum quinquiens sexiensve populo diceret 266,4.

Albucium intra annos fere 690 et 700 natum esse opinor [1]. Itaque hic quoque, si vivo Labieno admisso populo non declamasset, senex fere septuaginta annorum aut sexaginta tales declamationes instituere coepisset, neque tamen de sene, sed de vigente Albucio Seneca dicere videtur. Quare quin et Haterius et Albucius ante eam aetatem, qua Labienus mortuus est, admisso populo declamaverit, dubium vix est. Adice nunc, quod illo loco de Labieno quoque Seneca dicit:

putabat turpe ac frivolae iactationis.

Quae si nemo illis temporibus ad declamationes suas populum admisisset, non potuit dicere. Quare docet nos Seneca Labieni temporibus consuetudinem declamandi admisso populo nondum inter omnes, qui huic studio vacarent, communem fuisse.

3.

Iam vero hoc omisso, quoniam de eorum, quae supra relata sunt, interpretatione agitur, restat, ut, quae ratio inter has declamationes, ad quas populus admitteretur, ceterasque intercesserit, disputemus. Incipiamus autem iterum ab illo:

putabat turpe ac frivolae iactationis.

Quibus verbis efficitur, ut, quae de Labieno referuntur, bene cum his congruant, quae de Pollione a Seneca tradita sunt:

Pollio Asinius numquam admissa multidudine declamavit . . . sive quia parum in illis habuit fiduciam, sive — quod magis crediderim — tantus orator inferius id opus ingenio suo duxit et exerceri quidem illo volebat, gloriari fastidiebat 225,3.

Itaque exercendi causa Pollio Asinius declamabat et ea de causa declamantem cum Seneca audivit. Cf.

audivi autem illum et viridem et postea iam senem, cum Marcello Aesernino nepoti suo quasi praeciperet 225,11. *memini intra*

---

[1]) Seneca eum audivisse videtur et iuvenem et senem 270,2. Mortuus autem est a. 748, postquam Roma decessit. Teuffel-Schwabe 268,4.

quartum diem, quam Herium filium amiserat, declamare eum nobis 226,5.

Sicut Labienus quoque „*declamavit egregie*" et

tam diserte declamavit partem eius, qui debilitat expositos, quam nemo alteram partem 489,1.

Quo consilio autem hunc credis declamasse nisi eodem, quo Asinium, ut exerceretur? Idem vero omnes puto sibi proposuisse, qui declamationibus operam navabant. At qui populum admittebat, extra hoc propositum excedens gloriari arte sua volebat. Accedit, quo confidentius hoc de declamantium consiliis censeamus, quod de Albucio apud Senecam haec leguntur:

alius erat, cum turbae se committebat, alius, cum paucitate contentus erat 266,7. *cum populo dicebat, omnes vires suas advocabat et ideo non desinebat* 267,3.

Tunc igitur, cum populus admissus erat, omnes vires advocare oportebat, ut plena luce declamantis ars appareret. Reliquum est, ut de loco magis obscuro disseramus, quo voces „*ostentatio*" et „*exercitatio*" similem in modum inter se opponuntur atque loco supra laudato verba exercendi et gloriandi. Legitur enim:

Montanus Votienus adeo numquam ostentationis declamavit causa, ut ne exercitationis quidem declamaverit 370,8.

Unde primo aspectu hoc videtur concludendum esse, quod Gruppe [1]) certe censuit, Montanum Votienum nunquam declamasse. Atqui

Montanus partem accusatoris declamavit 409,9.

Et de eodem Seneca dicit:

Vitium suum, quod in orationibus non evitat, in scholasticis quoque evitare non potuit 420,8.

Saepius igitur videtur Montanum audivisse declamantem. Quibus efficitur, ut locus, si quidem a Fabro probabiliter, ut videtur, restitutus est [2]), aliter explicandus sit atque Gruppio placuit.

Nempe Seneca quod Montanum negat exercitationis causa declamasse, hoc videtur dicere foro illum declamando exerceri noluisse. Rationem enim quaerenti Senecae ita respondit Votienus,

---

[1]) Gruppe l. l. 28. n. 24.

[2]) codices enim pro „*exercitationis*" praebent vel „*exercitatis*" vel „*exercitatus*".

ut scholas non aptas esse diceret, quibus foro declamatores praepararentur.

vix itaque, inquit, *in foro futurus periculosus stupor discuti potest, qui crevit, dum tutus est* 371,7. *in foro, ut nihil aliud, ipsum illos forum turbat* 371,13. *in scholasticis declamationibus contra evenit: omnia molliora et solutiora sunt: in foro partem accipiunt, in schola eligunt* 372,9 et alia eiusmodi:

Quibuscum talia congruunt: *ne male adsuescam.* 370,11 et: *non est autem utilis exercitatio, nisi quae operi simillima est* 372,1. Vides quam bene haec cum iis cohaereant, quae de Montano Seneca refert. Profecto ei declamationes non videbantur utilis exercitatio esse, per quam ad vitae usum orator praepararetur, et declamando exerceri nolebat, ne male adsuesceret. Cum tamen declamasse eundem constet, praeter ostentationem et exercitationem tertiam rationem fuisse, qua, ut declamaret, aliquis commoveretur, efficitur. Quam spero nos perspecturos esse, si prius declamationum varia genera constituerimus[1]).

Interea hoc iam proclamare licet ostentationis causa, qui populo dicerent, declamationes instituisse.

4.

Quo constituto tamen cavendum est, ne ad scholarum exercitationes populo aditum patuisse negemus. Albuci quidem exercitationes secretas fuisse Seneca testatur, sed de iisdem dicit:

ad secretas exercitationes non multi inrumperent, quos tamen gratiae suae paenitebat 266,6.

In Cestii scholam Cassius Severus intravit, cum recitaturus esset in Milonem 210,16. Adfuisse autem praeter Cestium eiusque discipulos alios quoque auditores eo probatur, quod Cassius narrat: *risus omnium ingens, scholastici intueri me* 211,5; apparet igitur non omnes audientes scholasticos fuisse.

Pergit autem Cassius dicens:

Cestius . . . negavit se executurum, nisi exissem de domo. ego negavi me de balneo publico exiturum, nisi lotus essem 211,6.

Adeo igitur ad Cesti scholam liber aditus erat, ut Cassio

---

[1]) p. 16.

Severo cum balneo publico eam comparare licuerit. Inter Cesti discipulos porro fuit Alfius Flavus,

qui cum praetextatus esset, tantae opinionis fuit, ut populo Romano puer eloquentia notus esset 27,15 *tanto concursu hominum audiebatur, ut raro auderet post illum Cestius dicere* 27,18,

ad quem audiendum Senecam quoque fama perduxit 27,14. Saepius autem hunc in Cesti schola adfuisse satis constat.

Et Ovidius, qui Arelli auditor fuit (133,9) *Latronis admirator erat* 133,10. *adeo autem studiose Latronem audiit, ut multas illius sententias in versus suos transtulerit* 133,13.

Quo vero loco Latronem audiit nisi in eius schola, in quam Senecam quoque saepius venisse, vix quisquam negabit? De eodem Ovidio dicit Seneca:

tunc autem, cum studeret, habebatur bonus declamator 134,8,

de Papirio Fabiano item Arelli auditore (102,7):

adulescens admodum tantae opinionis in declamando quantae postea in disputando fuit 102,5.

Similiter igitur atque Alfi Flavi horum quoque Fusci auditorum declamationes si non populo Romano tamen extra scholam notae erant, quare huius quoque scholam populo patuisse crediderim. Seneca certe Ovidium meminit declamantem apud Fuscum (133,8—134,8) ipsumque Arellium declamantem et deinde in discipulum quendam, qui inepte magistrum imitatus erat, invehentem audiit 553,1.

5.

Nunc intelleguntur verba Cassi Severi:

Passienus noster cum coepit dicere, secundum principium statim fuga fit, ad epilogum omnes revertimur, media tantum quibus necesse est audiunt 208,16.

Quae utrum de Passieni orationibus an de declamationibus dictum sint, disertis verbis non declaratur. Sed fuit

Passienus vir eloquentissimus et temporis sui primus orator 172,2.

Cuius gloriae Cassium obtrectari voluisse adiectivo illo nomine „*noster*“ suspicari prohibemur, quo quandam inter hos viros familiaritatem intercessisse patet. Accedit, quod idem Cassius Severus dicit:

diligentissime me tibi excusarem, tamquam huic rei non essem

natus, nisi scirem et Pollionem Asinium et Messalam Corvinum et Passienum, qui nunc primo loco stat, minus bene videri dicere[1] *quam Cestium aut Latronem* 210,6.

Hos igitur tres viros pro summis temporis sui oratoribus habere videtur atque inter eos Passieno primum locum concedere. De tanti autem viri orationibus in foro habitis ea quae supra laudavimus Cassium narrasse minime credendum est. Itaque de Passieni declamationibus hic agi pro certo habeo, quae opinio etiam magis confirmatur, quod ad eundem Cassius mihi videtur alludere, cum illo loco adicit:

miraris eundem non aeque bene declamare quam causas agere aut eundem non tam bene suasorias quam iudiciales controversias dicere? 209,2.

Hoc vero si recte me dixisse concesseris, quosnam putas illos fuisse, quibus necesse esset media audire? Nimirum de amicis ne cogitemus, Cassi Severi exemplo prohibemur, qui ipse se inter illos fugientes et ad epilogum revertentes numerat, dummodo illud „*revertimur*" pro genuina lectione habeatur. De discipulis igitur sermonem esse existimo, quibus e schola exire fas non erat. Utrum vero ipse Passienus discipulos instituerit an in alienis scholis declamaverit, ex his, quae Seneca dicit, diiudicari non potest. Quod utcunque se habet, Passienus declamando sicut Asinius Pollio exerceri videtur voluisse — male enim hoc opere gloriatus esset, cuius declamationes auditoribus adeo displicere solebant — et ad has declamationes et Cassio Severo et aliis aditus permittebatur.

II. De exercitationibus scholasticis.

6.

Sed quoniam dicentes Passienum in sua aut aliena schola declamasse quodammodo, quod nondum probatum erat, occupavimus, nunc, ubinam illae exercitationes institui solitae sint, nobis quaerendum est. Ad quod propositum pertinet, quod Seneca filiis iubentibus, *quid de his declamatoribus sentiret, qui in aetatem suam*

---

[1]) *audiri* Kiessling, *videri* O.

incidissent, indicare et si qua memoriae eius nondum elapsa essent ab illis dicta colligere (1,4) respondit:

fiat, quod vultis: mittatur senex in scholas 3,6.

In scholis igitur, quae ex memoria sua protulit, Seneca collegerat scholisque eorum, quae in huius libris exstant, longe plurima attribuenda sunt.

In scholis autem primum praeceptores, ut et ipsos et discipulos exercerent, declamabant, sicut Marullus 13,14, Fuscus Arellius 553,4. Cestius Pius in schola sua recitavit in Milonem 211,1 ibique declamare videtur 272,9 (272,5). De Latrone et Triario haec sunt:

> *memini Latronem Porcium, ut exprobraret hanc audiendi scholasticis neglegentiam, maxime quia Triarius compositione verborum belle cadentium multos scholasticos delectabat, omnes decipiebat, in quadam controversia, cum magna phrasi flueret et concitata, sic locum conclusisse: inter sepulchra monumenta sunt; et cum scholastici maximo clamore laudarent, invectus est in eos, ut debuit, et hoc effecit, ut in relicum etiam quae bene dicta erant tardius laudarent* 310,10.

Item comperimur de Triario:

> *(Triarius dixerat)—cum scholasticorum summo fragore* 148,9.

Accuratius de scholasticis Latronis et Nicetae declamationibus agitur:

> *neque enim illi mos erat quenquam audire declamantem; declamabat ipse tantum et aiebat se non esse magistrum, sed exemplum; nec ulli alii contigisse scio quam apud Graecos Niceti, apud Romanos Latroni, ut discipuli non audiri desiderarent, sed contenti essent audire. initio contumeliae causa a deridentibus discipuli Latronis auditores vocabantur; deinde in usu verbum esse coepit et promiscue poni pro discipulo auditor* 392,9.

Negat igitur Seneca apud Niceten discipulos, apud Latronem quemquam praeter ipsum praeceptorem declamasse.

Sed etsi in Latronis et Nicetae scholis tacebant, declamabant discipuli apud alios magistros. Cuius moris perpauca exempla disertis verbis exponi, si ad Senecae propositum respicimus, non miramur. Neque vero desunt vel huius usus exempla apud Senecam. Declamavit enim, cum discipulus esset, Latro apud Marullum 15,4, Fabianus apud Arellium Fuscum 102,1, apud

eundem Ovidius 134,8 et auditor quidam, cuius pudori Seneca parcit 553,14, apud Cestium Alfius Flavus 27,13 et tres auditores ignoti 338,6. Surdinum Cesti discipulum fuisse pro certo dicere non ausim. De quo haec tradita sunt:

apud Cestium Pium rhetorem declamabat hanc suasoriam Surdinus, ingeniosus adulescens, a quo Graecae fabulae eleganter in sermonem Latinum conversae sunt. solebat dulces sententias dicere frequentius tamen praedulces et infractas 581,21.

Unde probatur Surdinum saepius declamasse et hanc suasoriam apud Cestium dixisse; dubium autem est, num certae cuidam scholae Surdinus se addixerit. Potuit enim apud Cestium declamare licet eius discipulus non fuerit, quia consuetudo fuit Cesti alienos declamatores ad scholam suam admittere, sicut

Pastor Aietius hanc controversiam apud Cestium dixit iam senator 49,9.

Quem Cesti discipulum fuisse, cum, qui scholas rhetorum frequentabant, *pueri fere aut iuvenes* essent, [1]) confidenter nego

Pergit hoc loco:

Cestius hunc corripuit et dixit: hoc est, quare ego auditores meos invitem ad alios audiendos ire? 49,12.

Quae verba per se pronum est ita interpretari Cestium discipulos adhortatum esse, ut aliorum scholas frequentarent. Sed quia praecedit Aietii declamatio in Cesti ipsius schola habita, hic indignatus esse videtur, quod Pastor Aietius, ad quem apud se audiendum auditores suos invitaverat, tam male declamavit. Atque cum Cestius plurali numero usus *„ad alios audiendos“* dicat, non Aietium solum, sed plures homines, qui discipuli non essent, apud eum declamasse apparet. Inter quos fortasse Quintilius Varus fuit, de quo sermo est 48,17. Restat ut ad illum Domitium veniamus, in quem Cassius Severus

in consulatu cum thermas prospicientis viam Sacram aedificasset et coepisset deinde rhetores circumire et declamare: ego, inquit, sciebam 411,15.

Hic qua ratione illud *„rhetores circumire“* interpretandum sit nisi de rhetorum scholis frequentatis, nescire me confiteor.

---

[1]) 210,11.

Si vero Domitio in rhetorum scholis non solum adesse, sed etiam declamare licebat, numquid putas idem aliis negatum esse? Probatur igitur hoc loco non modo Cestium, sed omnes rhetores aut certe magnam eorum partem — excepto tamen Latrone et fortasse Nicete — praeter discipulos alios quoque ad declamandum admisisse. Atque cum de scholis Senecam referre supra cognoverimus, quonam loco Labienum, quo Montanum Votienum, quo illum praetorium, quem Scaurus audiebat[1]), aut omnes illos declamasse putemus, qui neque discipuli erant neque praeceptores.

7.

Sed hoc cavendum est, ne ubicunque alicuius sententiae traditae sunt, statim hunc declamasse statuamus. Nam si dicit Seneca:

Cassius Severus aiebat placere sibi illum colorem: mori volui; et quasdam dixit inter disputandum sententias 303,19,

docemur sententias non solum inter declamandum, sed etiam inter disputandum dictas esse. Quod quomodo intellegendum sit, ex his locis apparet:

Silo Pompeius sedens et facundus et litteratus est et haberetur disertus, si a praelocutione dimitteret; declamat tam male, ut videar belle optasse, cum dixi: numquam surgas 209,4.

(Latro) id quod nunc a nullo fieri animadverto, semper fecit: antequam dicere inciperet, sedens quaestiones eius, quam dicturus erat, controversiae, proponebat 12,14.

Cestius in quadam praelocutione in Albucium invectus est: *cum dixisset Albucius ...: „inposuit fratrem in culleum ligneum", Cestius eandem dicturus sic exposuit controversiam: quidam fratrem ... imposuit in culleum ligneum. ingens risus omnium secutus est* 272,7.

De eodem Cassius Severus narrat:

memini me intrare scholam eius, cum recitaturus esset in Milonem; Cestius ex consuetudine sua miratus dicebat: si Thraex essem, Fusius essem, si pantomimus essem, Bathyllus essem, si equus, Melissio 210,16.

Solebant igitur rhetores declamationibus praelocutiones praemittere, in quibus de variis rebus poterant exponere, velut Latro quaestiones proponebat, Cestius adversarios ridebat. Veri autem

[1]) 42,13.

simile est ad praelocutionum referendum esse etiam 401,9, ubi de Argentario proditum est:

aeque contumeliose multa interponebat.

8.

Accedit altera disputandi occasio, scil. post exhibitam declamationem. Cuius usus vividam nobis repraesentant imaginem verba, quae sunt de Asinio Pollione:

audivi autem illum et viridem et postea iam senem, cum Marcello Aesernino nepoti suo quasi praeciperet. audiebat illum dicentem et primum disputabat de illa parte, quam Marcellus dixerat: praetermissa ostendebat, tacta leviter implebat, vitiosa coarguebat. deinde dicebat partem contrariam 225,11.

Nam etsi „*quasi*" praecepisse dicit Asinium — virum enim nobilissimum tantummodo comparare audet cum professoribus —, disciplinae rationes dilucide his verbis circumscribit. Quare generalia illa praecepta, quae commemorantur Latronis 143,17. 334,8. Cesti 338,4. 523,1. Hateri 228,3 al., possunt quidem continua praelectione discipulis mandata esse, sed verisimile est ea ex parte saltem in declamationum crisi velut ab Asinio prolata esse.

Neque vero desunt apud Senecam certa vestigia censurae illius, quam discipulorum declamationibus adhibebant doctores. Ita Fuscus Arellius auditorem suum corripuit 553,19. Cestius Alfium Flavum vituperavit 28,9 et tres discipulos ignotos 338,6. Cestius vero ut discipulis non parcebat, ita in eos, quos ad declamandum admiserat, sicut Pastorem Aietium (Varum Quintilium, Surdinum, si hi inter illos numerandi sunt) contumeliose invehebatur. Sed ne his quidem contentus, postquam Pastorem Aietium corripuit, in collegas absentes se convertere videtur:

dicebat autem in Albucium, qui illis diebus dixerat in hac controversia „durius saxo" et in Bassum Julium multa, qui dixerat: „virgo desultrix" 49,14.

Conferamus cum his eiusdem praelocutiones. Iam contra omnes declamatores: discipulos, hospites, collegas sive praesentes sive absentes Cestium disputasse cognoscimus.

9.

At ipse ab iis, qui in schola aderant, laudari volebat:

cum a scholasticis non laudaretur, nemo, inquit, imponit hos in culleum ligneum, ut perveniant nescio quo terrarum 272,14.

Hoc vero vitium omnibus scholasticis commune fuisse Montanus Votienus dicit, qui cum Seneca collocutus ait:

quid quod laudationibus crebris sustinentur et memoria illorum adsuevit certis intervallis quiescere 371,8.

Sed declamatoribus laudationem captantibus contrarium non raro accidit. Marullus certe rhetor declamans cum exilitatem orationis suae imputaret controversiae, Latro eius discipulus contradicebat:

„non mehercules tui pedes spinas calcant, sed habent"; et statim ipse dicebat sententias, quae interponi argumentis cummaxime declamantis Marulli possent 13,19.

Occurrit hic iterum Cassius Severus, qui intravit in Cesti scholam, cum recitaturus esset in Milonem et, dum exclamat:

si cloaca esses, maxima esses 211,4.

adeo eius animum perturbavit, ut Cestius negaret se executurum, nisi ille de domo exisset.

Peius etiam praetorio cuidam accidit, qui, cum declamaret, obsceno colore usus erat:

audiebat illum Scaurus, non tantum disertissimus homo, sed venustissimus, qui nullius umquam impunitam stultitiam transire passus est, statim Ovidianum illud „inepta loci", et ille excidit nec ultra dixit. 42,13.

Scaurum vero non huius tantum, sed plurium declamantium vitia castigasse verbis *„qui nullius"* sq. probatur.

10.

Quibus praemissis non mirabimur interdum duos vel plures rhetores magno concursu inter se disputare, quorum unus scholae magister videtur esse, alii ad audiendum convenisse. Ita disputantes inter se inducuntur: Blandus, Latro, Buteo, Passienus 169,10, Latro, Cestius 62,12. Fabianus, Latro, Asinius, Pollio 143,19. Silo Pompeius, Latro 344,18. Quae disputationes quaratione acciderint, pro certo dicere nequimus. Certe de declamationibus habitis disputatum esse cognovimus. Num vero scholastici interdum hoc uno consilio, ut disputaretur, convenire soliti sint, ignoramus.

11.

Hac ergo quaestione omissa ad Cestium nostrum revertamur, ad quem haec quoque pertinent:

(Alfius Flavus) tanto concursu hominum audiebatur, ut raro auderet post illum Cestius dicere 27,18.

Quae verba caveas ne ita interpreteris de Alfi Flavi declamationibus disputare non esse ausum Cestium. Nam eius colores improbantur a Cestio 28,9. 181,2. 220,11. Neque credo fieri potuisse, ut Seneca vocem dicendi omisso omni obiecto pro disputandi verbo usurparet. Contra dicendi et declamandi verba saepius Seneca inter se commutavit. Conferas haec:

cum diceret controversiam 227,3.

Cestius eandem dicturus sic exposuit controversiam 272,9.

cum diceret pro filio locum 317,12.

cum diceret illum locum 430,8.

Labienus tam diserte declamavit partem ... quam nemo alteram, cum illam omnes disertissimi viri ... dixerint 489,1.

Idem omisso quoque obiecto evenit:

haec illo dicente excepta memini 134,11.

Cestius ... dicenti discipulo statim exclamabat 338.10.

interrogatus, quomodo dixisset, respondit 401,21.

pro illo, qui debilitat expositos, pauci admodum dixerunt, dixit Gallio et hoc colore usus est 488,1.

Graeci nefas putaverunt pro Parrhasio dicere 501,20.

Otho pater, cum pro Parrhasio diceret, in hoc colore derisus est 504,11.

Nonne etiam 27,18 eam huius verbi vim esse verisimile est? Discimus autem hoc loco novum disciplinae genus, nimirum magistrum post discipulum exempli causa declamantem. Solebat hoc facere Cestius, si alii discipuli declamaverant, rarius fecit, si Alfius Flavus dixerat. Confirmatur autem haec consuetudo exemplo Asinii. Nam meminerimus Asinium Pollionem postquam de Marcelli declamatione disputavit, alteram partem ipsum declamasse[1]); cf. etiam: *Cestius hunc colorem tam strictum non probavit, sed dixit temperandum esse, et ipse hoc colore usus est, quam statim a principio induxit* 28,9.

12.

Nunc quaeritur, num hospitibus quoque a disputando ad declamandum transire fas fuerit.

---

[1]) Parvi enim refert Asinium de altera, Cestium de eadem parte declamare.

Quod ut cognoscamus, exordiendum est ab iis quae de Laortne legimus:

(Turrinus Clodius pater) numquam non de colore Latroni controversiam fecit. Latro numquam solebat disputare in convivio aut alio quam quo declamare poterat tempore. dicebat quosdam esse colores prima facie duros et asperos: eos non posse nisi actione probari 455,6.

Apparet igitur homines doctos disputavisse quidem de rhetorica non solum in scholis, sed etiam in conviviis, declamasse vero eos extra scholam non videtur verisimile esse. Quare ea, quae de Latrone narrantur, ad scholam referre cogimur, neque vero ad Latronis scholam. Nam ut concedam, istic disputatum esse, nunquam mihi persuadebitur Latronem, quem in schola sua ipsum tantum declamasse cognovimus, adeo iniquum fuisse, ut alios a disputando ad declamandum transire passus non sit, ipse hoc fecerit. Quae si recte diiudicavimus, Latronem patet in aliorum rhetorum scholis et disputare et inter disputandum declamare potuisse.

13.

Quibus cognitis iam ad alium locum aggredi audeamus, qui diligentius videtur interpretandus esse, lites dico Othonis Juni Syriaci Valli, Nigri Bruttedi 125,15 Incipiamus autem ab his:

Otho Junius nullam rem certam posuit, sed tantum circumventam a viro mulierem egregie tractavit; cuius actio quam utilis fuisset, statim adparuit Nigro Bruttedio dicente, qui hoc colore usus est: arcessitum a domino servum 126,7.

Quae verba quin ita intellegenda sint, ut et Othonem Junium et Nigrum Bruttedium a parte servi vel mulieris declamavisse dicamus, vix puto fore, qui dubitet. Neque est, quod hoc miremur, quoniam inter disputandum scholasticos etiam declamasse, disputavisse vero, cum declamatum erat, iam cognovimus.

Maior difficultas inde oritur, quod de Syriaci Valli prima et secunda actione sermo est. Alio enim loco Seneca ait:

Hanc controversiam magna pars declamatorum sic dixit, velut non controversiam divideret, sed accusationem, quomodo solent ordinare actionem suam in foro, qui primo loco accusant; in scholastica, quia non duobus dicitur locis, semper non dicendum tantum, sed respondendum est. 498,5.

Quid ergo? Nostro loco de forensi actione, non de scholastica agitur? Confiteor me primum huic opinioni favisse. Sed inquiramus in Syriaci Valli actiones:

cum prima actione diceret, non posuit causam, sed argumentatus est; dixit probaturum se deprehensam in cubiculo cum servo 127,1.

Haec videlicet actio a parte domini est. Cur enim probaturus est deprehensam in cubiculo cum servo, nisi ut adulterii matronam convinciat! A parte servi hoc non probandum fuit, sed excusandum. Sed de eadem actione Seneca haec amplius:

Niger Bruttedius, cum ageret, obiecit Syriaco, quod causam non posuisset, et institit adsidue, quare non appareret, quomodo servus sollicitatus esset, quomodo perductus in cubiculum 127,3.

Num haec quoque, contra quae Niger Bruttedius pugnat, a parte accusatoris fuisse putas? Profecto si adulterii eos accusabat, non opus ei erat describere, quomodo servus sollicitatus esset, quomodo perductus in cubiculum. Propter adulterium scilicet hoc fiebat. At qui adulterium factum esse negat, qui servum a domino in cubiculum adductum mulieremque ita circumventam esse contendit, hoc quomodo effectum sit, iudicibus probare debet. Ergo Syriacum, cui, quod id praetermisisset, obiciebatur, non solum a parte accusantis, sed etiam a parte defendentis dixisse elucet. Quod cum in foro factum esse non possit, de scholastica controversia hic agitur. Quo intellecto etiam illud:

adulterum accusator in cubiculum usque perduxit, patronus in lectum 126,16.

a parte defendentis dictum esse puto voce „*adulterum*“ per ironiam usurpata. Namque qua ratione tria illa verba ultima „*patronus in lectum*“ interpreter tamquam ab accusante domino dicta, plane ignoro.

Adice quod hunc locum introducturus Seneca dicit:

Otho tamen Junius bene dicebat has controversias, quae suspiciose dicendae erant. itaque memini optime illum dicere 125,14,

quasi locuturus sit de aliqua controversia suspiciose dicenda, quam Otho Junius bene declamavit.

14.

Nunc vero quomodo discrimen explicabimur, quod interest inter 498,5, ubi Seneca negat scholasticos duobus locis dicere,

et hunc locum, ubi duas fuisse Syriaci actiones videmus? Nolo urgere Senecam illo loco de accusando disputare, cum Syriacus bis defendat. Alia enim via patet, si reputamus Senecam 498,5 veri iudicii ad scholarum consuetudines comparare.

In foro enim qui primo loco dicunt, non quaecunque dici possunt statim proferunt, sed quae non tuta sunt reservant, quo melius, postquam adversarii dixerunt, his respondeatur. Hae orationes igitur coniunctae demum plenam et perfectam materiam continent; orator autem, quid in quaque oratione ponendum sit, accurate secum deliberat. Contra quaecunque ad controversiam pertinent, omnia statim ordinanda et dicenda sunt neque in plures declamationes distribuenda. Non solum *dicendum,* sed *respondendum* vel, quodcunque ab altera parte dici potest, occupandum est. Hoc puto Senecae illis verbis dictum esse. Errant igitur, qui scholasticos fori usum imitatos complura de eadem re quasi iudicia instituisse arbitrantur. Nam qui eandem partem bis dicebat, is non quia materiam in duas actiones dispertitus erat, hoc faciebat, sed ut artem suam aut defenderet aut etiam magis ostenderet. Hoc Syriacus faciebat, qui postquam ipse declamavit et deinde Bruttedium Nigrum dicentem audivit, cum ad ea, quae ab hoc obiciebantur, responderet, iterum declamare coepit.

Idem igitur hoc exemplo docemur, quod in Latrone probatum est, facilem scilicet a disputando ad declamandum transitum fuisse. Quo constituto viam iam praemunitam esse existimo ad eam expediendam quaestionem, quam tetigimus[1]) neque tamen absolvimus, quaerentes, cur Votienus Montamus declamaverit, cum neque ostentationis causa hoc fecerit neque exercitationis. Quem scholas rhetorum frequentasse, quoniam mores eorum cum Seneca collocutus describit (370,11) vix erit, qui neget. Frequentasse autem eas videtur, ut disputaret. A disputando vero eum interdum ad declamandum processisse crediderim.

15.

Haec habuimus, quae de exercitationibus diceremus. Sequitur ut exponamus, quae ratio inter has et illas declamationes intercesserit, ad quas populus admittebatur.

Primum aliud erat declamantis consilium, cum *„paucitate*

---

1) p. 5.

contentus erat", aliud, cum „*turbae se committebat*". Hic gloriari volebat, ille exerceri. Neque mirum est diligentius declamavisse eum, qui admisso populo dicebat. Albucius

cum populo dicebat, omnes vires suas advocabat et ideo non desinebat. saepe declamante illo ter bucinavit, dum cupit in omni controversia dicere non quidquid debet dici, sed quidquid potest 267,2.

Tum ex ipsis verbis „*populo admisso*" concludere licet maiorem hominum multitudinem ad has declamationes convenisse, quamquam nunquam defuisse, quibus ad scholas aditus permitteretur, probatum est, Deinde quamvis vel in scholae exercitationibus plerumque praeter discipulos alios affuisse probatum sit, tamen consentaneum est populo admisso maiorem numerum ad audiendum confluxisse; quod de Albuci declamationibus aperte testatur Seneca.

Porro conicere licet, ubi populus admittebatur, eos qui aderant, audire contentos fuisse. Absurdum enim videtur suspicari hunc, qui gloriari volebat, aliis quae dixerat castiganda permisisse. Certe si Albucio declamante *saepe ter bucinavit,* disputantibus tempus non relinquebatur. Paulutum res commutabatur, cum certamen indictum erat, quale Sparso cum Basso fuisse Seneca testatur 453,7. Tunc omnes certantes declamavisse consentaneum est. Si vero praeter hos alii declamassent aut disputassent, nihil inter hoc certamen et illas exercitationes interesset, de quibus disseruimus. Qua de causa autem hac certandi voce singulari de vulgari declamatione Seneca usus esset?

III. De loco.

16.

De loco, quo hae declamationes admisso populo habitae sint, nunc quaerendum est. Albucius quidem quin eodem loco populo declamaverit, quo exercitationes suas secretas instituit, id est in schola, non est, cur dubitemus. Hunc enim, in cuius exercitationes pauci irrumpebant, si dicit:

cum plures me domi audiant quam quemquam in foro 271,14[1]),

et publice et privatim domi declamavisse patet.

Haterium Gruppe putat in aedes suas convocasse, qui se

[1]) si quidem hoc „*domi*" suo loco stare concesseris.

audirent declamantem, quod disertis verbis proditum esse contendit[1]). Sed errat vir doctus. De loco enim docemur his verbis:

nec verba custodiebat. quaedam enim scholae iam quasi obscena refugiunt nec, si qua sordidiora sunt aut ex cotidiano usu repetita, possunt pati. ille in hoc scholasticis morem gerebat, ne verbis calcatis et obsoletis uteretur, sed quaedam antiqua . . . dicebat 228,6. *hoc exempto nemo erat scholasticis nec aptior nec similior* 228,13.

Multum igitur inter scholasticos versabatur Haterius et scholasticis declamabat, neque intelligere me confiteor, qua de causa negemus hunc quoque vel admissa multitudine in schola declamasse. In qua vero schola Haterius declamationes suas instituerit, dubium est. Nam ne hoc quidem pro certo dici potest, quinam illi scholastici fuerint, cum huius nominis significatio ambigua sit. Aut enim *scholastici* discipuli sunt sicut his locis:

Sparsum . . . hominem inter scholasticos sanum, inter sanos scholasticum 80,5. — *memini Latronem . . . dicere, quod scholastici quasi carmen didicerunt* 134,2 — *risus omnium ingens, scholastici intueri me* 211,4. — *cum a scholasticis non laudaretur* 272,13.

De Latronis et Triarii scholasticis cf. 310,10 sq. Aut quicunque scholasticis studiis vacant, scholastici vocantur, sicut his locis:

hoc habent scholasticorum studia: leviter tacta delectant 446,8. *ubi scholasticus forum . . . imitatur* 453,11. — *bona fide scholasticus erat* 453,13. — *ex his declamatoribus, quos scholastici caldos vocant* 550,5. *Albucius . . . non, quomodo non esset scholasticus, quaerebat, sed quomodo non videretur* 269,6.

Aut inter duas significationes eligere licet:

Gallio illud, quod omnes scholastici transierant, dixit 68.19.
cum coepisset scholasticorum frequentissimo iam more 583,6.
gravis scholasticos morbus invasit 317,8.

Ex quibus patet posse Haterium ipsum quoque scholam habuisse. Ad quam opinionem accedere eo minus dubito, quia non puto in aliena domo fieri potuisse, quod de Haterio narratur:

alioqui libertum habebat, cui pareret 227,16.

---

[1]) Gruppe l. l. 26.

Ergo in sua schola Haterium admisso populo ex tempore dixisse suspicor.

Sunt quidem, quae extra scholam Seneca collegerit, sed haec pauca et quae iudicium a nobis latum infirmare nequeant. Primum, quoniam Latronem nunquam in convivio disputasse Seneca dixit, hunc illis temporibus morem exstitisse apparet, ut cenantes inter alia de controversiarum coloribus aut sententiis disputarent. Huc fortasse pertinet, quod Craton

saepe solebat apud Caesarem cum Timagene confligere 503,1.

Sed declamationes quoque in privatis domibus institutas esse vult Gruppe. Primum enim nobiles viros dicit in aedes suas convocasse, qui se declamantes audirent.[1]) Deinde Gruppe saepissime dixit usu evenisse, ut nobiles viri pecunia data declamantium coetus convocarent inque eorum auditionem familiares adhiberent[2]). Inter hos declamationum institutores fuisse C. Sosium[3]). Sunt autem Senecae verba haec:

hic est Corvus, qui cum temperaret[4]) *scholam Romae, Sosio illi, qui Iudaeos subegerat, declamavit controversiam . . . in hac controversia sententia eius haec ridebatur* 545,7.

Quae verba sive cum Gz. „*temperaret*“ legimus sive traditam lectionem retinemus, docent Corvum rhetorem Romae scholam condidisse et ei aliquamdiu praefuisse. Quo vero hunc in Sosii domo declamasse probatur? Nam de declamationibus in rethorum scholis habitis dicturus Seneca praepositione „*apud*“ uti solet. Cf. *apud Latronem* 392,9 apud Cestium 27,13 — 49,10 — 338,6 — 581,21 — *apud illum* (sc. Cestium) 48,17 — *apud Arellium Fuscum* 133,9 — *Fabianus . . . exercebatur apud Arellium Fuscum* 102,7 — *apud Blandum diutius quam apud Fuscum Arellium studuit* 105,9 — *cum condiscipuli essemus apud Marullum* 13,14. Semel praepositione „*ante*“ Seneca ita utitur, cum dicit: „*ante Arellium Fuscum declamavit* 134,9. His si adiecero illud: *declamasse . . . in Marulli schola* 15,4, — omnes fere locos enumerasse me spero, quibus Seneca, ubinam declamantes extiterint, disertis

---

[1]) Gruppe l. l. 26.
[2]) Gruppe l. l. 27.
[3]) Gruppe l. l. 28.
[4]) sic. Gz., *temptaret* O.

verbis dicit. Nusquam, si locum notat, quo quis declamat, dativo utitur. Qui casus quid significet, videmus ex 226,5: *memini intra quartum diem, quam Herium filium amiserat, declamare eum nobis,* ubi neminem puto concessurum esse in Senecae domo Asinium declamasse. Sed si utroque loco declamationes illae in usum certorum hominum instituuntur, uno, quod scio, loco de domo privata Senecam narrare constat, ubi de Sextilio Ena carmen recitante dicit: *is hanc . . . proscriptionem recitaturus in domo Messalae Corvini* 574,7.

Cum Sosio autem, de quo Gruppius recte tanquam de nobili viro sermonem ésse dicit, pronum est conferre Augustum, de quo Seneca dicit: *(Latro) declamabat illam Caesare Augusto audiente et M. Agrippa* [haec enim lectio Mülleri, quae in manuscriptis libris exarantur, comparanti genuina videtur esse mihi]. 159,5.

Audiit igitur Caesar Augustus cum comitatu suo — aderat etiam Maecenas — Latronem declamantem. Si vero lectio recte constituta est, non est, quod dubitemus, quin hoc in schola, in qua Latro solebat declamare, factum sit. Quod vel eo commendatur, quod Craton

> *Caesari, quod illum numquam nisi mense Decembri audiret, dixit: ὧς βαύνῳ μοι χρῇ* 502,14.

Quae verba, nisi in Cratonis schola dicta, sensu carent et sale. Huic Cratoni autem adeo Caesar favebat, ut talentum ei donaret, Passieno eum commendaret, apud se cum Timagene confligentem eum pateretur iocosque eius patienter ferret (502,9), Tantum cum Caesar rhetoribus concesserit, in aedibus eius declamationes institutas esse probari non potest. Quod

> *Varius Geminus apud Caesarem dixit: Caesar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem* 265,9,

iudicialis orationis exordium mihi videtur esse, sicut illud *Hybreae ... male apud se causam agenti ait (sc. Cicero filius)* 582,20

de praetoria iurisdictione dictum esse Gruppe non suspicari, sed contendere debuit. Conferas cum his, si libet, haec:

accusaverat illum apud Caesarem 317,3 *apud praetorem urbanum*

curatorem ei petebam 211,14 *memini illum pro Galla Numisia apud centumviros tirocinium ponere* 420,12.

Augustus igitur, quotiens his studiis vacabat, in scholas descendisse videtur. Quod idem Sosium fecisse eo magis credendum est, quia de Corvi schola mentio fit. Certe, quoniam sententia eius ridebatur, non solus Sosius aderat nec qui aderant tacebant. Qua de causa igitur Sosio Corvus declamavit? Si in schola dixit, fecit, quod consueverat. Praeterea talium virorum gratiam rhetores non contempsisse Fusci exemplo docemur, qui ex Vergilio multa trahere solebat, *ut Maecenati imputaret* (549,13) aut Augusti, qui ut de Cratone bene mereretur, Passieno eum commendavit, quod tamen hic non curavit.

Multo minus autem Furium Saturninum aut Scaurum pro declamationibus pecuniam accepisse cum Gruppio putandum est. Sunt de Furio haec: *is in hac controversia, cum L. Lamiae filio declamaret, dixit* 329,4. de Scauro; *declamantem audivimus et novissume quidem M'. Lepido ita, ut, quod difficillimum erat, sibi displiceret* 448,7. Quibus verbis praeter declamantium et audientium nomina de altera declamatione nihil, de altera hoc tantum narratur Senecam eam, fortasse cum filiis, audivisse. Praeterea, cum Scaurus ipse sibi displicuisse dicatur, haud scio an, postquam hic declamavit, disputatum sit. Pecunia igitur accepta hos dixisse ne uno quidem verbo probatur. Accedit, quo magis Gruppii sententiam recipere vereamur, quod ambo nobili loco nati erant, Saturninus Furius *maius nomen in foro quam in declamationibus habuit* (329,2). Qua de causa neque ut audientium gratiam sibi conciliarent, Scaurus et Saturninus declamasse mihi videntur. Neque enim tam nobilibus viris declamantibus auditores defuisse opinor, non magis quam L. Magio, qui suum populum habuit, quia T. Livi gener erat (447,2). Occurrit mihi, quod Cassius Severus dicit:

vix iam obtineri solet, ut declamem; illud obtineri non potest, ut velim aliis quam familiarissimis audientibus 212,7.

Ergo Cassius Severus in familiarium gratiam declamabat. Quidni potius, si quidem suspicari licet, de Scauro et Furio idem statuamus sicut Asinius quoque post Herium mortuum amicis declamavit 226,5. Gruppium quidem sisequimur, duo restant loci, quibus ad de-

clamatores audiendos familiares convocati esse videntur: 401,12 sq. 317,4 sq. Verba ipsa si quis accuratius inspiciet, hanc sententiam fundamento carere perspiciet.

IV. De schola ut fori lodo.

17.

Difficile est condicionem circumscribere, quae inter veras actiones et scholae declamationes interfuerit. Nam etsi constat exercitationis causa declamatum esse, inde non colligitur exercitationes illas semper eo consilio institutas esse, ut discipuli ad certamina iudicialia praepararenter. Hoc quidem indicare videtur 209,17:

hoc ita semper habitum est scholam quasi ludum esse, forum arenam; et ideo ille primum in foro verba facturus tiro dictus est.

Neque desunt loci, ubi rhetores in scholis iudicialis usus rationem habuisse videntur. Cf. 144,14. *Pollio Asinius aiebat hoc Latronem videri tamquam forensem facere, ut ineptas quaestiones circumcideret, sed in nulla magis illum re scholasticum deprehendi.*

Accedit quod locis, licet perpaucis, oratorum in schola fit mentio. Sicut Vinicius

solebat hanc sententiam Seniani deridere et similem illi referre in oratione dictam Montani Votieni 316,12.

solebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare 421,16.

Livius de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur et orationis obscuritatem severitatem putant, aiebat Miltiaden rhetorem eleganter dixisse. 393,15.

Neque tacendum est Senecam et Ciceronem maxime amavisse et iudicia frequentavisse neque ita raro de fori actionibus in libris suis narrare. E Senecae autem amicis Gallio Cassium Severum in foro audivisse videtur 205,4. Item alios forum frequentavisse consentaneum est. Namque quod in Senecae libris nihil fere de hoc more traditum est, scriptoris consilio effectum est, qui de scholis scribere voluit.

Contra huc non referendi esse videntur tales loci:

etiamsi non effecero, ut credant iudices 37,21 — *hoc erat utique praeceptum eius quaedam declamatorem tamquam praetorem facere debere minuendae litis causa* 334,8. *aiebat enim non posse mutari*

semel latam sententiam 149,13 — *hodie primum res in forum delata est* 283,16; — *(Julius Bassus) consectabatur amaritudinem et simulationem actionis oratoriae* 453,9.

Nam etsi declamationes interdum imitantur dictionem forensem, inde non sequitur hoc factum esse forensis causa disciplinae.

18.

Multae autem sunt causae, ex quibus patet exercitationes illas quam alienissimas fuisse a veris actionibus. Qua de re primum conferas illos locos, quibus ut plane inutiles deridentur:

usque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, caelum denique pati nesciant. non est autem utilis exercitatio, nisi quae operi simillima est, in quod exercet ... in scholasticis declamationibus contra evenit: omnia molliora et solutiora sunt: in foro partem accipiunt sq. 371,20.

deridebat Montanus Votienus in hac controversia ineptias rhetorum 426,15.

Arruntius apud iudices Albucium derisit. Albucius dixerat: *iura per patris cineres ... et executus est locum. quo perfecto surrexit L. Arruntius ex diverso et ait: accipimus condicionem; iurabit. clamabat Albucius: non detuli condicionem; schema dixi. Arruntius instabat ... Albucius clamabat: ista ratione schemata de rerum natura tolluntur. Arruntius aiebat: tollantur; poterimus sine illis vivere 271,2.*

19.

Deinde notandum est non solum Cestium inimicum fuisse Ciceronis,[1] sed universos scholasticos prae declamatoribus stupide contempsisse oratores. Cassius Severus queritur: *et Pollionem Asinium et Messalam Corvinum et Passienum ... minus bene videri*

[1]) erat autem Cestius nullius quidem ingenii (nisi sui) amator, Ciceroni etiam infestus 582,7. Ciceronem negabat litteras scisse 582,17. Qua de causa, quod Cestius Ciceronis orationibus rescripsit 210,16, quod recitavit in eius pro Milone habitam orationem, magis, ut Ciceroni obtrectaretur, ipse gloriaretur, hoc videtur factum esse, quam ut in forum discipuli hoc modo exercerentur.

dicere quam Cestium aut Latronem 210,7, et de Cesti discipulis dicit:

> *hi non tantum disertissimis viris, quos paulo ante rettuli, Cestium suum praeferunt, sed etiam Ciceroni praeferrent, nisi lapides timerent. quo tamen uno modo possunt, praeferunt; huius enim declamationes ediscunt, illius orationes non legunt nisi eas, quibus Cestius rescripsit* 210,12.

Gravius etiam Seneca de iis temporibus, quibus libros suos conscripsit, queritur his verbis:

> *nunc cuilibet orationem in Verrem tuto licet dicere pro sua.* 544,10.

20.

Quae cum ita sint, fere mirum videtur tot oratores scholas frequentasse, de quo nunc accurratius agemus. Motanum Votienum, qui declamando neque exerceri volebat neque gloriari, tamen declamavisse iam cognovimus.[1]) Cassius Severus, qui nolebat declamare aliis quam familiarissimis audientibus 212,7, faciebat tamen idem, quod homines scholastici: declamabat scilicet. Erat autem Cassius Severus valens orator, cuius virtutes Seneca laudat 204,10. Quae edidit, 205,7, cum de oratore disseratur, orationes, non declamationes videntur fuisse. Labienus, ille magnus orator, qui consuetudinem admittendi populi turpem esse putabat, declamabat tamen[2]). Asinius Pollio „*tantus orator inferius id opus ingenio suo duxit*“ 225,9. Tamen „*exerceri quidem illo volebat, gloriari fastidiebat* 225,10. Itaque declamabat[3]) atque nepotem suum declamando exercuit, ad quem successionem eloquentiae suae pertinere credebat 226,2. Itaque non dubium est, quin Asinius hanc exercitationem futuro oratori utilem esse existimaverit. Inter ceteros oratores

> *Saturninus Furius . . . maius nomen in foro quam in declamationibus habuit; solebat tamen tam honeste declamare, ut scires illum huic materiae non minus idoneum esse, sed minus familiarem* 329,1.

De eodem declamante L. Lamiae filio iam disseruimus.[4])

Scaurus Mamercus, fuit *quidem homo disertissimus* 42,13, sed

---

[1]) p. 4 et 16.
[2]) p. 4.
[3]) p. 3.
[4]) p. 21.

orator ignavus 447,15. Orationes septem edidit, quae deinde ex senatus consulto combustae sunt, sed extabant libelli, qui cum fama eius pugnabant, multo quidem solutiores ipsis actionibus 448, 3. Eundem Seneca cum filiis audivit 447,7 et novissume quidem M'. Aemilio Lepido declamantem [1]).

Fabius declamator fuit nec clari nominis nec ignoti 454,5. Quem editores decreverunt eundem esse, de quo haec prodita sunt:

Fabius Maximus nobilissimus vir fuit, qui primus foro Romano hunc novicium morbum, quo nunc laborat, intulit 158,11.

Solent autem forum et schola inter se opponi, sicut iam cognovimus illud:

scholam quasi ludum esse, forum arenam 209,18

vel illud: *maius nomen in foro quam in declamationibus habuit.* Adice illud:

hoc autem in foro esse curatorem petere, quod in scholasticis dementiae agere 144,19

atque alia, quae enumerare longum est. Nego autem ullo loco vocem „*forum*" positam esse a Seneca dicturo de schola. Quamobrem Fabium oratorem forensem fuisse opinor. Idem autem declamavisse dicitur 158,16.

Passienus temporis sui primus orator et ab Augusto magni aestimatus 502,17 declamator fuit subtilis, sed aridus 453,2. De quo iam disputavimus [2]).

De Q. Haterio, qui *et promisit oratorem et praestitit,* 427,23 declamante item disseruimus [3]). Quem Seneca declamantem uberius descripsit, dicentem in foro nusquam induxit 227,1.

Solebat declamare studiose et Turrinus Clodius 454,14. De quo haec leguntur:

negabat itaque (sc. Latro) ulli se placere posse nisi totum; nosse enim semet suas vires et illarum fiducia aliis metuenda et praerupta audere; multa se non persuadere iudici, sed auferre. Turrinus contra nihil probare nisi tutum; non quia inbecillus erat, sed quia circumspectus. causas nemo diligentius proposuit, nemo

---

1) p. 21.
2) p. 6.
3) p. 17.

respondit paratius; et pecuniam itaque et dignitatem, quam primam in provincia Hispania habuit, eloquentiae debuit 455,10.

Hunc locum usque ad verbum „*circumspectus*" de declamatore, sequentia vero de oratore dicta esse vel inde sequitur, quod Senecae temporibus e rhetoribus nemo, ut videtur, „*pecuniam atque dignitatem*" sibi paravit, quae quidem officiorum civilium sollemnia esse solent praemia. In Senecae autem libris unus Clodius Sabinus parvum salarium accepisse dicitur[1]). Cratonis talentum quod non merces stipulata, sed donum Caesaris est, hic referre fas non est. Accedit, quod de actione iudiciali dicitur *causa* 174,16. 209,2. 412,2 et 10. 454,10. 582,20. al. Sunt autem duo officia oratoris, eiusmodi, ut et causas clientium agat et ab adversariis eos defendat. Defendendi vero vim habet vox respondendi 117,9. 180,7. 209,11. 498,5 sq. *Proponere* est „*proferre*" sive „*dicere*" cf. 12,16.

Orator igitur erat Turrinus, solebat tamen studiose declamare. Denique Gavium Silonem commemoro, quem oratorem fuisse verba 454,11 demonstrant „*patrem familiae*", nec non bene declamavisse 454,9.

21.

Sequitur, ut demonstremus oratores etiam declamantes audire et cum his atque audientibus disputare solitos esse. Quod quamquam scholae disertis verbis raro mentio fit, tamen, quoniam de scholis Senecam scribere diximus, item in schola factum esse contendere non dubitamus.

Improbatur igitur a Votieno Montano color Cesti 426,20, Triari 427,4. Sparsi 491,14. Idem aiebat sententiam Vibi Rufi colorem actionis esse 390,4 atque Marcelli Marci amici sui sententiam refert 429,19 (et si quidem viri docti recte coniecerunt 409,20. 419,21). Cassius Severus in Cesti scholam intravit et hunc dicentem interrupit 210,16. Idem corripit Triarium 502,1, laudat Varium Geminum 564,4 et 13, facete dicit de Passieno 208,16, de Silone Pompeio 209,4, de Clodio Sabino 401,19. Hateri contradictio magnam materiam Asinii Pollionis et Cassi Severi iocis praebuit. 229,3 Disputavit Cassius Severus cum Moscho de Publilianis 302,3, fortasse postquam Murredius decla-

[1]) 401,17.

mavit, et quasdam dixit inter disputandum sententias 303,20. Item, quod Seneca dicit:

Cassius Severus dixerat: ostende nobis captivos tuos. Julius Bassus dixerat: ostende mercedarios tuos. Labienus commodius videbatur dixisse: ostende nobis alumnos tuos 492,18,

de disputando sermonem esse existimo. Certe, cum Cassius Severus non declamaverit nisi familiarissimis audientibus 212,8, idem autem fuerit homo Labieno invisissimus 451,4, fieri non potuit, ut Cassius Severus audiente Labieno declamaret. Ab Asinio Pollione improbatur color Triarii 148,11, divisio Buteonis 306,9. Arelli Fusci 537,19. Idem Albuci sententias albas vocabat 268,3, aiebat ridere se, quod declamatores decrevissent hunc utique empticium esse 329,17, Vibii Rufi sententiam aiebat se recipere 393,15. Inter disputandum Fabiani divisionem a Latrone defendit 144,14, disputans inducitur 167,14, fortasse cum Gallione et Dionysio Attico. Idem cum quibus disputaverit, non cognoscitur 234,7, 237,1. Contra Hisponis Romani, Pompei Silonis, Latronis, Cestii colores disputat 238,6. Quo loco haud scio an ipse quoque declamaverit, cum verba haec sint:

ipse autem hoc colore usus est 238,14.

Is etiam occasionem scholasticis alterius suasoriae dedit 566,5. Scaurus, qui nullius unquam impunitam stultitiam transire passus est, audiebat quendam praetorium declamantem et loco obsceno utentem, statim Ovidianum illud; „inepta loci", et ille excidit nec ultra dixit. hoc autem vitium aiebat Scaurus a graecis declamatoribus tractum, quorum exempla Hybrean et Grandaum nominat 42,8. Apparet igitur hunc oratorem ne graecos quidem declamatores ignoravisse. Idem Othonem Junium dicit acta in aurem legere 129,2, disputat de divisione Latronis 462,4. Fabius Maximus Romani Hisponis nobilem sententiam circumferebat 156,13. Passienus Fusci colorem improbat 296,13, disputat cum Blando, Latrone, Buteone 169,9, cum quibusdam 284,3. Haterius Hybreae sententiam vertit 429,7, Triari sententia aliter usus est 427,5, colorem sanius dixit quam Triarius 504,3. Eius sententia a Cestio improbatur 427,22. Clodius Turrinus pater multum viribus dempserat, dum Apollodorum sequitur ac summam legem dicendi sectam putat 455,2, nunquam non de colore Latroni controversiam fecit 455,6, locis Latronianis utebatur 469,18. 477,11. 478,9.

Inter primos oratores cum Asinio Pollione et Passieno Messala Corvinus nominatur 210,8. Quem, cum vir *exactissimi ingenii quidem in omni studiorum parte, sed Latini utique sermonis observator diligentissimus* dicatur 156,2 studia scholastica non curavisse non verisimile est. Ipsum tamen declamavisse e Senecae libris probari non potest. A quo vituperatur Albucius 155,17, laudatur Fabianus 157,7. Quae de Vergilio disserit 545,1, talia sunt, ut inter disputandum in schola dicta esse possint. Cum audisset Latronem declamantem, dixit: *sua lingua disertus est* 156,3. A Gallione cum Seneca ad se veniente ab auditione Nicetis quaerebat Messala, *quid illi visus esset Nicetes. Gallio ait: „plena deo". Messala numquam aliter illum ab novi hominis auditione venientem interrogavit, quam ut diceret „numquid plena deo?"* 550,1. Et favebat igitur Messala Gallionis studiis et saepius cum eo de schola locutus est. Constat igitur Messalam studiis scholasticis se non plane subduxisse. Quod vero Gruppe dicit[1]) inter praecipuos artis declamatoriae patronos eum fuisse, Senecae verbis non probatur. Immo si ista studia Messala tantopere curavisset, multo plura de eo Senecam servaturum fuisse opinor.

Maecenatis, si hunc inter oratores numerare fas est, in Senecae libris raro mentio fit. Unde apparet eum aut scholasticorum studiis non favisse aut cum Seneca eiusque amicis raro convenisse. Certe Latroni, Senecae amico benevolentiam non habebat 159,10, quem una cum Augusto et Agrippa declamantem audiit. Fuscus autem solebat ex Vergilio multa trahere, ut Maecenati imputaret 549,13. Quod Fuscum vix facturum fuisse puto, si studia scholastica Maecenas omnino non curavisset. Quae de Vergilio Maecenas iudicat 528,2. 545,3, in schola dicta esse possunt.

L. Vinicius, valde Fabiani colorem probabat et de eo disputabat 173,14.

22.

Atque ut oratores frequentabant scholas, ita ad publica certamina descendebant rhetores. Videbatur autem Tullio Sabino Syriacus rhetoris mores in iudicio non satis celavisse 411,5.

---

[1]) Gruppe l. l. pag. 35.

Cestium in ius ad praetorem vocatum adeo perturbatum fuisse, ut se defendere nequiret, Cassius Severus iocatus contendit 211,9. Latronem Porcium, *declamatoriae virtutis unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo suo diceret, usque eo esse confusum, ut a soloecismo inciperet, nec ante potuisse confirmari tectum ac parietam desiderantem, quam impetravit, ut iudicium ex foro in basilicam transferretur,* Votienus Montanus refert 371,15. Albucium *unius figurae crudelis eventus,* de quo supra diximus, *fugavit a foro.* Neque *tulit hanc contumeliam, sed iratus calumniam sibi imposuit, numquam amplius in foro dixit* 270,16. Quibus cognitis haud iniuria Cassius Severus dixisse videtur:

agedum istos declamatores produc in senatum, in forum: cum loco mutabuntur, velut adsueta clauso et delicatae umbrae corpora sub divo stare non possunt, non imbrem ferre, non solem sciunt, vix se inveniunt 209,19.

23.

Saepe autem Seneca causas tangit, cur in hoc campo succumbere soleant rhetores. Cf.

in orationibus, quia laxatior est materia, minus earundem rerum adnotatur iteratio, in scholasticis si eadem sunt, quae dicuntur, quia pauca sunt, notantur 420,10.

Hanc controversiam magna pars declamatorum sic dixit, velut non controversiam divideret, sed accusationem, quomodo solent ordinare actionem suam in foro qui primo loco accusant, in scholastica, quia non duobus dicitur locis, semper non dicendum tantum, sed respondendum est 498,5.

Amplius de hoc discrimine Votienus Montanus disserit:

qui declamationem parat, scribit, non ut vincat, sed ut placeat, omnia itaque lenocinia conquirit, argumentationes, quia molestae sunt et minimum habent floris, relinquit; sententiis explicationibus audientis delinire contentus est. cupit enim se approbare, non causam. sequitur autem hoc usque in forum declamatores vitium, ut necessaria deserant, dum speciosa sectantur. accedit etiam illud, quod adversarios quamvis fatuos fingunt: respondent illis et quae volunt et cum volunt. praeterea nihil est, quod errorem aliquo damno castiget . . . . quid quod laudationibus crebris sustinentur et memoria illorum adsuevit certis intervallis quiescere? . . .

adice nunc, quod animus illis nullius interventu excutitur: nemo ridet, nemo ex industria obloquitur, familiares sunt omnium vultus 370,12, *in foro partem accipiunt, in schola eligunt, illic iudici blandiuntur, hic inperant; illic inter fremitum cousonantis turbae intendendus animus est, vox ad aures iudicis perferenda, hic ex vultu dicentis pendent omnium vultus* 372,10. Brevius Cassius Severus:

adsuevi non auditorem spectare, sed iudicem, adsuevi non mihi respondere, sed adversario; non minus devito supervacua dicere quam contraria. in scholastica quid non supervacuum est, cum ipsa supervacua sit 209,9 . . . *totum aliud est pugnare, aliud ventilare* 209,17 . . . *adsuerunt enim* (scil. scholastici) *suo arbitrio diserti esse* 210,4.

Adice quod declamatores non curabant, ut vitia evitarent, dummodo ne vitia esse appareret. De qua ratione Seneca dicit:

hoc aequale omnium est, ut vitia sua excusare malint quam effugere. Albucius enim non quomodo non esset scholasticus, quaerebat, sed quomodo non videretur 269,5.

Tantum autem discrimen inter orationes et declamationes esse Seneca existimabat, ut Basso hoc ipsum opprobrio daret, quod amaritudinem et simulationem actionis oratoriae consectabatur:

nihil est, indecentius, quam ubi scholasticus forum, quod non novit, imitatur, amabam itaque Capitonem . . . . bona fide scholasticus erat 453,10.

Iam vero oratores alii erant, cum in foro dicebant, alii, cum declamabant. Asinius Pollio

floridior erat aliquanto in declamando quam in agendo: illud strictum eius et asperum et nimis iratum ingenio suo iudicium adeo cessabat, ut in multis illi venia opus esset, quae ab ipso vix inpetrabatur 225, 15.

Passienum tam aride declamavisse, ut secundum principium statim fuga fieri soleret, iam diximus. Eodem loco Cassius Severus haud scio an de Passieno haec adiecerit:

miraris eundem non aeque bene declamare quam causas agere aut eundem non tam bene suasorias quam iudiciales controversias dicere? 209, 2.

Ipse vero Cassius Severus, quamquam *omnia habebat, quae illum, ut bene declamaret instruerent* 207, 4, *tamen non tantum infra*

se, cum declamaret, sed infra multos erat 207, 9. Idem haud scio an de plerisque oratoribus dicendum sit. Ait enim Seneca:

quosdam disertissimos cognovi viros non respondentes famae suae, cum declamarent, in foro maxima omnium admiratione dicentes. simul ad has domesticas exercitationes secesserant, desertos ab ingenio suo. quod accidere plerisque aeque mihi mirum quam certum est 204, 4.

V. De Senecae studiis scholasticis.

24.

Disputabitur hoc capite de ipsius Senecae studiis. Habebat autem praeceptorem eloquentiae Marullum rhetorem 13,15 133, 5, de quo sine ira aut studio dicere solet. 13, 15. 26, 3. 39, 13. 133 5. 155, 14. De Marulli schola non pluribus quam duobus locis sermo est, altero, quo Latro Marullo cummaxime declamante sententias dixisse fertur 13, 14, altera, quo Latro primam controversiam declamavisse dicitur 15, 4. Alios autem praeceptores se habuisse Seneca non dicit. Tamen quin illis iam temporibus aliorum rhetorum scholas frequentare coeperit, non dubito. Sicut quod de Arellio dicit:

recolo nihil fuisse me iuvene tam notum quam has explicationes Fusci, quas nemo nostrum non alius alia inclinatione vocis velut sua quisque modulatione cantabat 538, 1,

hoc cum discipulorum maxime moribus convenire videtur. Certiora licet de Senecae amicis isdem studiis indulgentibus exponere.

Inter quos procul dubio primum locum obtinet M. Porcius Latro, apud Marullum Senecae condiscipulus 13, 14. 15, 4. atque carissimus eius sodalis, cuius *familiarem amicitiam a prima pueritia usque ad ultimum eius diem* perduxit. Itaque Seneca non solum nullius sententias, divisiones, colores tam saepe laudat quam Latronis, sed etiam, quae falso de eo homines opinabantur, refutare studet 392, 6. 453, 12, raro autem ea, quae vituperabantur, servavit 156, 2, 159, 2. 371, 15 al. Talis viri declamationes Senecam saepissime audivisse et per se consentaneum est et inde consequitur, quod tam multa a Latrone inter declamandum et disputandum dicta servavit et de eius studiis declamationibus summa cum diligentia disseruit 8, 5. Atque disertis quidem

verbis Seneca tantum dicit se Latronem discipulum audivisse in Marulli schola 13, 14. 15, 3. Sed idem qua sententia usus sit, cum Buteonis colorem improbaret, meminit 26, 19. In quadam declamatione eum usum esse *summis clamoribus* versu tragico dicit 27, 6. Meminit, qua ratione Latro scholasticis audiendi neglegentiam exprobraverit 310, 10. Latronis scit non morem fuisse quemquam audire declamantem, declamasse eum ipsum tantum et dixisse se non esse magistrum, sed exemplum 392, 9. Latronem antequam dicere inciperet, sedentem quaestiones eius, quam dicturus erat, controversiae proponere solitum esse testis est 12, 15. Et multa alia, quae mox afferemus, ita dicit, ut vix dubitandum sit, quin narraverit, quae ipse in schola Latronis audiverat.

Alter amicus familiarissimus Senecae et eius filiorum Junius Gallio fuit, quem Latrone et Seneca aetate minorem, Latronis admiratorem fuisse constat[1]). Qui vocatur *Gallio noster* 125,7. 168, 1. 169, 10. 205, 4. 270, 9. 550, 1, *Gallio vester* 451, 7. Quocum quam familiariter Seneca coniunctus fuerit, optime ex eis cognoscitur, quae de Gallione et Messala narrantur 549, 18. Disertis verbis Seneca se Gallionem adulescentulum audivisse dicit 270,9.

Latro ergo et Gallio amici fuerunt, cum quibus tanta familiaritate Senecam coniunctum fuisse constat, quantam cum nullo alio ei convenisse crediderim. Amicorum autem nomine si de eis uti licet, quibuscum et saepe et libenter congruere solemus, Senecae amicorum numerum maiorem fuisse facile apparet.

Atque ut ab iis incipiamus, qui summa auctoritate in civitate fruebantur, Valerius Messala Corvinus saepe cum Gallione conversatus esse videtur 550, 6. Cum hoc autem Seneca a Nicetis auditione ad Messalam venit 550, 1. Quae vero de Sextilio Ena in Messalae domo carmen recitante narrat, Seneca, quoniam dicit:

Enae interfuisse recitationi Severum quoque Cornelium scio 574, 13, quia non utitur verbo *memini,* non ipse audivisse, sed ab aliis

---

[1]) Errat Gruppe quod p. 45 dicit Latronem totiens Gallionis divisionem recepisse. Nititur haec sententia duobus locis 145, 16. 416, 12, quibus tamen num Gallio ante Latronem dixerit, non aperte patet. Contra Gallio Latronem plerumque sequitur.

accepisse mihi videtur. Praeterea Messalae nomen in Senecae libris raro deprehenditur, Latroni vero, Senecae amico, Messala sermonem non vere latinum obiecisse dicitur 156, 3. Quibus de causis, etsi aliud Gruppio placet [1]), Messala inter Senecae amicos non videtur numerandus esse.

De Asinio Pollione Gruppe disseruit [2]). Putat autem eum Annaeum non frequenter in coetus suos adscivisse, quod ei videtur inde probari, quia Seneca Timagenem cognoscere debuerit. Quo argumento uti, quoniam Timagenem declamavisse non constat, aequum esse non videtur. Recte autem Gruppe iudicat [3]) Annaeum de, eo, quocum diuturna amicitia coniunctus fuerat, non dicturum fuisse:

audivi illum et viridem et postea iam senem 225, 11.

Attamen saepe in Senecae libris Asinii Pollionis non sine veneratione mentio fit. Senem eum Seneca audivit, cum Marcello Aesernino nepoti suo quasi praeciperet, quod quin Asinii in domo factum sit, vix quisquam dubitabit. Ceterum Asinium Pollionem in domo sua declamare solitum esse vix crediderim. Dicit enim Seneca:

numquam admissa multitudine declamavit, nec illi ambitio in studiis defuit; primus enim omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit 225, 3.

Quae, si advocatis hominibus Asinius declamavisset, absurda essent. Si vero Asinius ad declamationes suas audiendas homines non advocavit, in domo sua eum declamavisse non est verisimile. Qua de causa, quod Seneca dicit:

memini intra quartum diem, quam Herium filium amiserat, declamare eum nobis, sed tanto vehementius quam umquam 226, 5.

inde non probatur Senecam in Asinii domum frequenter venisse, sed Asinium saepius audiente Seneca declamavisse, quod quin in scholis factum sit, quoniam totiens Asinius cum rhetoribus disputans inducitur, non est cur dubitemus. Neque vero audacius est, quia Asinius Pollio admissa multitudine non declamabat, opinari quosdam coetus fuisse, qui Senecae aeque atque Asinio patebaut.

---

[1]) Gruppe l. l. pag. 36.

[2]) Gruppe l. l. pag. 29.

[3]) Gruppe l. l. pag. 30 adn. 41.

Idem autem fortasse de Passieno censendum est, de quo Cassius Severus cum Seneca collocutus dicit: *Passienus noster* 208, 16, quem Seneca cum Blando, Latrone, Buteone disputantem audivisse videtur 169, 10. Turrini Clodii filius fraterno amore Senecae filiis coniunctus erat 454, 14. Ipsi Senecae adeo carus erat, ut a filiis suis eum non distinxerit 456, 7. Eandem autem patrum amicitiam fuisse non constat, quos haud scio an hoc aliquantum separaverit, quod Turrinus Clodius Apollodorum sequebatur ac summam legem dicendi sectam putabat 455, 3, Seneca Theodoreis et Apollodoreis aeque infestus erat. Latroni autem Turrinus nunquam non de colore controversiam fecit 455, 6. Itaque quamvis frequenter Senecam, Latronem, Turrinum convenisse facile crediderim ad patrem spectare existimo quod Seneca dicit:

> *horum nomina non me a nimio favore, sed a certo posuisse iudicio scietis* 456, 12.

Magis videtur Cassius Severus inter Senecae amicos habendus esse. Ab hoc enim Seneca quaesivit, *quid esset, cur in declamationibus eloquentia illi sua non responderet* 204, 8. Quod cum non sine quadam contumelia dictum sit, tali ratione Senecam hominem quadem familiaritate sibi non devinctum compellaturum fuisse vix crediderim. Accedit, quod de hoc Seneca dicit:

> *declamationes eius inaequales erant, sed ea, quae eminebant, in quacumque declamatione posuisses, inaequalem eam fecissent . . . iniquom tamen erit ex his eum aestimare, quae statim subtexam; non enim haec ille optime dixit, sed haec ego optime teneo* 212, 9.

Num putas Senecam haec dicturum fuisse, nisi ipse Cassium Severum declamantem audivisset? Nolebat autem Cassius declamare aliis quam familiarissimis audientibus 212, 8. Videtur vero Seneca saepe etiam in iudicio dicentem eum audivisse 206, 10.

Denique Ovidium Senecae insigni familiaritate devinctum fuisse Gruppe falso, ut mihi videtur, opinatur [1]). Solet quidem multis locis cum quadam benevolentia, ne dicam veneratione de eius ingenio Seneca loqui. Nusquam vero de amicitia eius verba facit, quod, si isti viri insigni familiaritate coniuncti fuissent, eo magis mirandum esset, quia Ovidius, ut diximus, familiari con-

---

[1]) Gruppe l. l. pag. 36.

suetudine Gallionis fruebatur, cuius totiens ut Senecae amici mentio fit. Quamobrem Annaeus non ut amicum, sed ut egregium poetam Gallioni suo familiaritate devinctum Ovidium magni aestimavisse mihi videtur.

25.

Haec de Senecae amicis et studiorum sociis. Quibus ab solutis ut ad ipsa eius studia describenda revertamur, inter hos rhetores, quorum declamationes frequenter audire solebat, imprimis Arellium Fuscum fuisse loco nuper laudato probari videtur. Adice hunc alterum locum:

solebat autem Fuscus ex Vergilio multa trahere 549, 13.

Namque nisi Fuscum saepe audivisset, hanc eius consuetudinem cognovisse Seneca vix potuit. Neque desunt loci, quibus Seneca de declamante Arellio referre videtur, quae ipse audiverat 380, 3. 553, 1. Atque potuit quidem fieri, ut Arellius audiente Seneca in aliorum rhetorum scholis declamaret. Tamen quin saepius id in ipsius Arelli schola factum sit, non est cur dubitemus. Illic enim Ovidium declamantem audivit 133, 8 (134, 8) et quendam auditorem Fusci, cuius pudori Seneca parcit 553, 3.

Praeter hunc autem et Latronem ad nullum Seneca tam frequenter devertisse videtur quam ad Cestium, quod eo magis mirandum esset, quia Cestii neque amicus neque admirator erat 272, 3. 582, 5, al., nisi Cestium inter celeberrimos rhetores fuisse sciremus. Audivit autem apud Cestium Alfium Flavium 27, 13 (cf. 220,10) et, postquam Romam rediit, Quintilium Varum 48, 17. Neque dubito, quamquam disertis verbis non dictum est, quin item ipse audiverit ibidem declamantem Pastorem Aietium 49,9, Surdinum 581, 21, Alfium Flavum et Cestium 181, 2, Cestium 272, 7.

Albucium Seneca non frequenter audivit 266, 4, tam frequenter tamen, ut eius declamandi rationem accurate cognoverit 266, 7. Atque cum ad secretas Albuci exercitationes aditum habuisse non videatur 266, 6. 268, 1, consequitur Senecam eum audivisse, cum populo declamaret aut cum in aliis scholis diceret. Neque desunt loci, quibus ut opinemur Albucium Seneca audiente dixisse, nimia audacia non opus est 81, 1 (lin. 16/17) 521, 16 (lin. 563, 7).

Qu. Haterium se cognovisse Seneca ipse testatur 227, 9.

Cuius declamationibus quin non semel ut bis, sed saepius interfuerit, quoniam accurate describitur, quemadmodum Haterius declamaverit, vix quisquam dubitabit 227, 1. Neque difficile erat ad huius viri declamationes audiendas aditum impetrare, cum populum admittere solitus sit 227, 7.

Hi declamatores sunt, quos Seneca praeter amicos suos saepissime audivisse videtur. Qui quod omnes eo iam tempore florebant, quo primum Seneca Romae versabatur, cum insuper studia sua iuvenilia vocet 446, 5, quibus optimam vitae suae partem dedicaverit 446, 7, illo tempore praecipue eum eloquentiae studuisse existimo. Tunc etiam audiebat Senecam Grandionem 543, 1, Florum Latronis auditorem dicentem non apud Latronem 392, 8, Moschum disputantem 302, 3. Neque tamen postea eum studiis renuntiavisse et inde probatur, quod Varum Quintilium post patris cladem declamantem audivit 48,17, et eo efficitur, quod una cum filiis audiebat Scaurum declamantem M'. Lepido 448, 8, Musam 452, 1, fortasse Julium Bassum 453, 8, quem tamen antea audiverat declamantem praesente Albucio 464, 12. Quibus constitutis ceteros declamatores, quos quin Seneca ipse cognoverit non dubito, alphabetico ordine uso enumerare mihi liceat.

De Bruttedio Nigro, Vallio Syriaco, Junio Othone declamantibus et disputantibus tam multa narrantur, quam Seneca, nisi ipse adfuisset, scire non potuit 125, 16. Item Buteonem et Blandum cum Latrone et Passieno audivisse videtur 169, 10. De Capitone Seneca ita loquitur, ut et libenter et frequenter eum audivisse videatur 453, 11. Catium Crispum meminit in quadam controversia ineptam sententiam dicentem 310, 4. Festum se audiente declamavisse disertis verbis Seneca dicit 309, 10 (lin. 14/15). Fulvium Sparsum declamavisse duas controversias meminit 80, 5. 487, 9. Junium Othonem meminit colorem stultum inducere 49, 17. Labienum dicit non quidem populo, sed egregie declamavisse 448, 10. Mentonem se audivisse declamantem disertis verbis contendit 413, 8. Ab Nicetis auditione cum Gallione ad Messalam venit 550, 1. Papirium Fabianum Seneca non frequenter audivit 105,13, haud scio an eo tempore, quo ille discipulus erat 105,13, sive apud Fuscum Arellium sive apud Blandum. Publium Sabinum audiente Seneca declamavisse disertis verbis proditum est 410, 20. Vibium Gallum Seneca audiebat quandam controversiam declamantem

postero die, quam erat a Fabiano dicta 121, 11. P. Vinicium videtur audivisse praecipientem auditoribus suis 492, 12. Cum Montano Votieno colloquitur 370, 10. Eundem meminit in quadam declamatione hoc fecisse, ut sententias suas repetendo corrumperet 421, 4. Videtur autem hunc etiam apud centumviros pro Galla Numisia dicentem audivisse 420, 12. Neque enim Senecam ita eloquentiae studuisse, ut forum praeteriret, inde apparet, quod actiones forenses cognoverat et Asinii Pollionis 225, 15 et Labieni 448, 13 atque Aemilii Scauri 447, 7.

Hos igitur declamatores et oratores quin Seneca dicentes audiverit, vix dubitandum est. Valde vero erraremus, si cetera, quae narrat, eum accepisse, non audivisse putaremus. Latronem suum videlicet procul dubio multo saepius declamantem audivit quam supra demonstrare nobis licebat. Atque cum omnes magni in eloquentia nominis excepto Cicerone audivisse ipse sibi videatur 6, 12, hoc vero, cum libros suos conscriberet, sibi proposuerit, ut filiis suis querentibus, quod tantae opinionis viros audire non potuerant, temporum invidiam detraheret 1, 10, denique cum pleraque dicta oratione directa usus referat, consentaneum esse existimo longe plurima, quae memoriae servavit, Senecam ipsum audivisse, pauca ab aliis accepisse. Inter quae quoniam ipse aperte discernere noluit, quicumque de declamationibus Seneca audiente habitis disserere vult, divinando illi magis quam demonstrando opus est.

Quod ne plus aequo faciamus, aliquot locos colligam, quibus potissimum vel accurata descriptio vel vivida narratio arguere videtur praesentem audivisse Senecam ea, quae commemorat. Sunt autem, qui hoc modo a Seneca laudantur, hi fere:

Aemilius Scaurus 42,8, Aeschines 88,11. Agroitas 183,14. Albucius 54,5. 123,5. 155,16. 172,9 Arellius Fuscus 68,14. 78,22. 117, 2. 321,8. 342,21. 501,4. Argentarius 120,4. 182,16. Artemo 287,14. Asinius Pollio 144,14. 393, 14. Bruttedius Brutus 378, 19. Buteo 26,16. Capito 292,7. 385,16. Cestius Pius 62,15. 288,4. 344,13. 426,10. 427,12. 540,15. 563,8. Clodius Turrinus 471,9. 488,10. Cornelius Hispanus 285,23. Diocles Carystius 287,6. Fabius Maximus 158,11. Fulvius Sparsus 484,4. 496,10. Gargonius 583,4. Gavius Sabinus 327,19. Glycon 530,19. Haterius 69,13. 540,13. Hermagoras 184,7. Julius

Bassus 63, 21. 75, 6. Junius Gallio 87, 7. 378, 5. 416, 22. 431, 2. 488, 2. 557, 16. Junius Otho 127, 16. 504, 11. Labienus 489, 1. Licinius Nepos 329, 22. Nicetes 540, 17. P. Nonius Asprenas 34, 21. 84, 18. 88, 17. Papirius Fabianus 143, 19. 157, 7. 526, 6. Pompeius Silo 78, 5. 117, 15. 123, 11. 132, 15. 344, 18. 428, 5. 501, 2. Porcius Latro 62, 12. 80, 14. 90, 2. 119, 12. 132, 10. 144, 3. 145, 19. 281, 13. 294, 6. 324, 22. 333, 1. 344, 6. 377, 15. 393, 2. 398, 12. 407, 3. 500, 15. 529, 8. 562, 7. Romanius Hispo 296, 15. 336, 7. 464, 5. Rubellius Blandus 78, 19. 87, 20 318, 3. Saturninus Furius 329, 1. Senianus 246, 3. 394, 16. Triarius 69, 4. 148, 7. 286, 14. 391, 11. 426, 22. Vallius Syriacus 27, 8. Varius Geminus 283, 7. 285, 13. 326, 14. 344, 10. 564, 15. Vibius Rufus 122, 20. 393, 8. L. Vinicius 173, 14. Votienus Montanus 387, 6. 399, 19. 409, 9. 416, 10. 426, 15. 430, 8.

Hos locos, etsi non dubito, quin multo plures declamationes, ne dicam fere omnes, Seneca ipse audiverit, ideo exhibui, ut, quam late patuerint eius studia, intellegamus. Numerum, ut quisque volet, augeat. Mihi quidem his cognitis Senecam permultas scholas frequentavisse, declamatorum et oratorum magnam multitudinem audivisse persuasum est.

Tamen Senecam non omnia, quae servavit, ipsum audivisse. inde probatur, quod dicit:

adfirmem dixisse me quae scivi quaeque audivi 446, 12.

Sicut Albucio extemporalem facultatem non deesse adfirmaverant illi, „*qui propius eum norant*", 268, 1. Simili modo ad Senecam pervenerunt sententiae Dioclis Carysti 504, 18, Dorionis 527, 13. 538, 14. Glyconis 540, 10, Cassi Severi 451, 3 nec non illa sententia Ciceronis 53, 17, quem Seneca ipse non cognoverat. Nonnullis locis, quibusnam auctoribus sententias debuerit, disertis verbis Seneca pronunciat, sicut Scaurus referebat de Hybrea et Grandao, 42, 18, Pompeius Silo de Hybrea 429, 3, Fuscus Arellius de magistro suo 79, 15. 90, 9, Vinicius de Votieno Montano 316, 12. Livius de Miltiade, 393, 15, Votienus Montanus de Marcio Marcello 429, 17 (409, 22. 419, 21), Asilius Sabinus de Dorione 539, 2. Fieri autem potest, ut horum quoque locorum, quibus relata Seneca reddit, numerus augeatur. Atque imprimis graecarum sententiarum isto modo Senecam notitiam acquisivisse opinari fortasse licet, cum ex iis, quas modo laudavimus, sententiis

maior pars graece dicta sit. Graecos autem declamatores exceptis Hermagora, Nicete, aliis paucis Seneca contemnebat 70,1. 77,20. 86,15 al. Minus igitur graecis quam latinis declamationibus audiendis vacavisse videtur.

VI. De traditione scholastica.

26.

Hispo Romanius dixit nobilem illam sententiam, quam Fabius Maximus circumferebat 156,13.

(Varius Geminus) hanc sententiam, quae valde circumlata est, adiecit 326,18.

illud, quod tamquam Latronis circumfertur, non esse Latronis pro testimonio dico 392,6.

(Albucius) Latronis illas sententias aiebat tumidas magis esse quam fortes, quae summa hominum admiratione circumferebantur 464,19.

(Latro) et illam dixit minus notam sententiam, sed non minus bonam 393,4.

Latronis illa celebris sententia est, quam Sparsus quoque subtractis quibusdam verbis dixit 504,16.

Glyconis celebris sententia est 527,3.

Omnes, quos hic in uno conspectu posui, loci docent illustres quasdam sententias non solum semel dictas esse, sed etiam postea inter multos memoria servatos et saepius adhibitas esse. Neque vero de solis sententiis aut coloribus hoc valet. Dicit enim Seneca:

Divisio controversiarum antiqua simplex fuit, recens utrum subtilior an tantum operosior sit, ipsi aestimabitis; ego exponam, quae aut veteres invenerunt aut sequentes adstruxerunt 22,13.

Quod quoniam non de dividendi arte, sed de singulis controversiis disserit, veteres et recentes declamatores easdem fere controversias declamavisse, veterum autem divisiones recentioribus declamatoribus ita notas fuisse, ut his et uti et novas quaestiones adstruere potuerint, apparet.

Subnascitur igitur quaestio, num veteres declamatores fetus suos publici iuris facere soliti sint. Ad quam quaestionem non pertinet, quod Scaurus orationes septem edidit 448,3. *Orationis* enim voce nunquam Seneca de declamationibus usus est neque

de Scauro declamante illo loco ante verba *declamantem audivimus* (l. 7) disserere incipit. Neque magis eis utemur, quae Cassius Severus edidit 205,7 quia de oratore aeque agitur. Hunc autem declamationes edidisse, quoniam nolebat declamare nisi familiarissimis audientibus minime est verisimile. Votieni autem Montani scripta 429,18 cuius generis fuerint, ignoramus neque constat ea, quae Montanus in illis de Marcio Marcello amico suo disseruit, ad declamationes pertinuisse. Mihi quidem nemo persuadebit Votienum, qui scholasticas exercitationes magnopere contemnebat, de declamationibus scripsisse. Marcelli autem sententiae a Montano relatae 409,22. 419,21. 429,19, quoniam omnes introducuntur verbo „*aiebat*", a Votieno non scripta, sed dicta esse videntur.

Sed non desunt vestigia librorum, in quibus celebres sententiae legi potuerunt. Velut Junius Otho pater quattuor libros colorum edidit 49,18. 125,7. In quibus quin multae sententiae et colores commemorati fuerint, non dubito. Accedit alterum et hoc certum exemplum editae declamationis 453,12:

Capitonem, cuius declamatio est de Popillio, quae misero Latroni subicitur.

Dubium est, num etiam 210,15 huc referre liceat:

huius enim declamationes ediscunt, illius orationes non legunt nisi eas, quibus Cestius rescripsit.

Sed de hac re postea videbimus.

27.

Conducit enim antea examinare, quantum patuerit inter declamatores scribendi usus. Nam scripsisse declamatores saepe traditur. Ita Latro solebat *hoc genere exercitationis uti, ut aliquo die nihil praeter epiphonemata scriberet, aliquo die nihil praeter enthymemata* sq. 14,2 Porro

cum se ad scribendum concitaverat, iungebantur noctibus dies et sine intervallo gravius sibi instabat nec desinebat, nisi defecerat; rursus cum se remiserat, in omnes lusus, in omnes iocos se resolvebat 8,7.

Latro igitur scripsisse videtur, quotienscunque studio incumbebat. Quid vero scripserit, his Senecae verbis docemur:

numquam ille, quae dicturus erat, ediscendi causa relegebat: edidicerat illa, cum scripserat. id eo magis in illo mirabile videri

potest, quod non lente et anxie, sed eodem paene quo dicebat impetu scribebat 10,11.

Neque tamen, cum declamaret, codicibus illi opus erat:

supervacuos sibi fecerat codices: aiebat se in animo scribere 11,5 *cogitata dicebat ita, ut in nullo umquam verbo eum memoria deceperit* 11,6.

Accedit quod Montanus dicit:

qui declamationem parat, scribit non ut vincat, sed ut placeat 370,12.

Hoc ergo modo declamationem parari dicit, ut scribatur.

(Albucius dicebat) citato et effuso cursu, sed praeparatus. extemtemporalis illi facultas, ut adfirmabant, qui propius norant, non deerat, sed putabat ipse sibi deesse 267,17.

Raro igitur Albucius ex tempore dixisse videtur, malebat declamare praeparatus. Quibus cognitis, quod Haterius admisso populo ex tempore declamabat 227,7, quod Argentarius aeque atque Cestius ex tempore dicebat 401,9, ideo Senecae in mentem venisse videtur, quod raro talia accidebant, cum scribendi usus vulgaris esset. Restat denique, quod de hac consuetudine in universum testatur Seneca:

> *illi, qui scripta sua torquent, qui de singulis verbis in consilium eunt, necesse est, quae totiens animo suo admovent, novissime adfigant; at quorumcumque stilus velix est, tardior memoria est.* 10,14.

28.

Haec omnia vero dicta sunt de privata praeparatione. Edidisse autem declamatores haec scripta praeter illud unum (453,12) alia testimonia non occurrunt. Immo hunc usum non vulgarem fuisse, discimus ex his Senecae verbis:

> *fere enim aut nulli commentarii maximorum declamatorum extant aut, quod peius est, falsi* 6,9.

Quibus cognitis quin declamationum per litteras publicatarum numerus parvus fuerit, non iam dubitare licet. Quomodo igitur fieri poterat, ut Cestii discipuli praeceptoris declamationes ediscerent? 210,15. Quas ab ipso editas esse quominus opinemur, impedimur Senecae verbis (6,9) modo relatis. Restat triplex interpretandi ratio. Potuerunt enim declamatori commentarii excidere itaque contra eius voluntatem publici iuris fieri aut ab audi-

toribus, dum declamat, stilo excipi, quod videmus Albucium apud Fabianum facere 269,12.

29.

Sed etiam tertia ratio potest cogitari, nimirum auditores ipsa memoria magnas declamationum partes retinere aliisque tradere. Quod non mirum est in tanta horum temporum memoriae vi atque exercitatione, cuius luculentissimum exemplum habemus ipsum Senecam. Quare non dubito, quin hac via maxima pars earum sententiarum, de quibus quaerimus, ad posteros venerit. Conferas velim:

memini Latronem in praefatione quadam dicere, quod scholastici quasi carmen didicerunt 134,2.

tam diligentes tunc auditores erant, ne dicam tam maligni, ut unum verbum surripi non posset 544, 9.

recolo nihil fuisse me iuvene tam notum quam has explicationes Fusci, quas nemo nostrum non alius alia inclinatione vocis velut sua quisque modulatione cantabat 538, 1

Audiendo igitur ediscunt scholastici flosculos rhetorum, deinde de eis disputant.

Labieni sententiam separavi, quia locuti de illa homines erant 492,5.

Quibus cognitis non iam dubito, quin eadem ratione interpretandum sit illud, quod supra praeposuimus de Varii Gemini sententia valde circumlata aut de Latronis sententiis, quae summa admiratione hominum circumferebantur. Eodem spectat, quod Seneca dicit:

haec sententia dicebatur ex Graeco translata, sed Graeca corruptior est 286,18.

Ista enim Graeca sententia alio loco dicta esse videtur. Deinde hic referendae sunt illae sententiae, quas relatas esse disertis verbis Seneca dicit 42,18. 79,15. 90,9. 316,12. 409,22. 419,21. 429,17. 429,3. 539,2, Passieni, Cassi Severi, aliorum de Haterio declamante dicti ioci 229,1, Cestii facetiae de Albucio 272,2, auditorum colloquia de declamantibus 401,15. 550,1. Quare non mirum est de quibusdam prioris temporis dictis iterum iterumque sermonem esse, sicut:

Vinicius ... solebat hanc sententiam Seniani deridere et similem illi referre in oratione dictam Montani Votieni 316, 12.

Simili modo quod Seneca ait:

(Marullus) hanc adiecit sententiam, quam solebat mirari Latro, immo, ut ipse aiebat, exosculari 39, 15,

Latronem de hac sententia saepe locutum esse elucet. Idem hoc loco docemur:

(Varius Geminus) adiecit illam sententiam, quam Cassius Severus unice mirabatur 564,4.

Quibus constitutis quod Fabius Maximus Hisponis nobilem sententiam circumtulisse dicitur, non iam dubito ita interpretari, ut dicam Fabium hanc sententiam valde admiratum esse et, ubicunque occasio dabatur, rettulisse. Iam vero quasdam sententias non solum ab audientibus relatas, sed ab altero alteri traditas esse inde opinor apparere, quod illa Flori sententia et tam diu conservabatur et Latroni falso subiciebatur. Id si recte dixi, quod Seneca illas Dorionis, Dioclis Carystii, Glyconis sententias auctore non laudato refert 504, 18. 527, 13. 538, 14. 540, 10, non iam mirum est.

Valet autem haec explicatio tantummodo de singulis partibus declamationum quasi exceptis. Totas enim declamationes tali modo servata sesse neque consentaneum est neque Senecae verbis probatur, qui non dicit nullos, sed fere nullos commentarios extare aut falsos et unius declamationis editae, sc. Capitonis ipse nobis exemplum tradidit.

30.

Atque quod nobis mirabile videtur tot sententias mentibus sine librorum adminiculo impressas haesisse, explicatur fortasse eo, quod sententiis formandis horum temporum homines unice intenti fuere. Cf. quod Votienus dicit:

qui declamationem parat, scribit, non ut vincat, sed ut placeat, omnia itaque lenocinia conquirit; argumentationes, quia molestae sunt et minimum habent floris, relinquit; sententiis, explicationibus audientis deli nire contentus est 370, 12.

Praecipuam vero causam fuisse existimo, quod eaedem controversiae et suasoriae non semel, sed saepius declamabantur. Easdem autem controversias et ab antiquis et ab recentibus declamatoribus dictas esse nuper contendimus. Idem his Senecae verbis probatur:

novi declamatores post Moschum . . . . et hanc quaestionem in hac controversia fecerunt 169,4.

Elucet enim hanc controversiam ante novorum declamatorum tempora iam dictam esse. Et multos illam controversiam dixisse apparet, de qua Seneca dicit:

Labienus tam diserte declamavit partem eius, qui debilitat expositos, quam nemo alteram partem, cum illum omnes disertissimi viri velut ad experimentum suarum virium dixerint 489,1.

Eandem controversiam et a Graecis et a Latinis declamatam esse, his Senecae verbis probatur:

celebris haec apud Graecos controversia est; multa ab illis pulchre dicta sunt, a quibus non abstinuerunt manus nostri 489,19.

Idem altero loco confirmatur quo postquam de Latinis disseruit, ita Seneca continuat sermonem ut dicat:

Graeci nefas putaverunt pro Parrhasio dicere; omnes illum accusaverunt; in eosdem sensus incurrerunt 501,20.

Frequenter illam suasoriam dictam esse constat, de qua Senecae verba haec sunt:

solent scholastici declamitare: deliberat Cicero sq. 566,6.

Neque solum variis temporibus easdem controversias a variis declamatoribus dictas esse, sed interdum iisdem fere diebus inde probatur, quod Vibius Gallus eandem controversiam, quam Papirius Fabianus dixerat, postero die declamavit 121,11, Blandus postero die eandem, quam Silo Pompeius 78,19. Cestius eandem controversiam atque Albucius et Blandus iisdem fere diebus declamavit 49,15 atque aliam controversiam, quam Albucius dixerat, non multo post hunc declamavisse videtur 272,9.

Vita.

Natus sum Reinhold Hess Silesiae in urbe Oels d. 23 m. Jun. a. 1868 patre Georgio, tunc gymnasii directore, quem a. 1892 mihi ereptum lugeo, matre Alexandrina e gente Ludewig. Fidem profiteor evangelicam. A. 1877 in gymnasium Rendsburgense receptus inde in gymnasium Christianeum Altonense a. 1882 transmigravi. Ibi postquam autumno a. 1886 maturitatis testimonium adeptus sum, universitati Berolinensi per sex menses, Erlangensi per duo semestria, Bonnensi per duo semestria, Kiliensi per quinque fere semestria adscriptus fui. Kiliae examine pro facultate docendi rite absoluto, cum hanc licentiam nanctus essem, ut linguas latinam, graecam, hebraicam nec non religionem per omnes gymnasiorum classes docerem, inde ab autumno a. 1891 ut candidatus probandus in gymnasiis urbium Flensburg et Schneidemühl per duos annos versatus sum. Tum stipendiis militaribus factis per complures annos privatarum scholarum discipulos docui. Vere a. 1898 revocatus sum ad gymnasium reale Brombergense. Examen rigorosum superavi d. 9 m. Jul. a. 1898.

E professoribus, quos tunc, cum studebam, audivi, imprimis viri doctissimi, qui Kiliae florebant, Bruns, Blass (nunc Hallensis), Klostermann bene de me meriti sunt. Quibus quam multa debeam, cum ipse doceo, saepissime admoneor. Itaque his viris gratias ago semperque habebo quam maximas. Ivonem Bruns insuper, ut has quaestiones tractarem, ad quas tangendas olim patris studia Annaeana me adduxerunt, nunc me incitavisse et in conficiendo hoc opusculo nunquam mihi defuisse grato animo profiteor.

Sentientiae controversae.

1) Locum Senecae orat. et rh. s. d. c. 317,4 sq. dico corruptum quidem esse, sed a Gruppio (quaest. Annaean. 28 n. 24) non recte constitutum, emendandum esse ita, ut Montanus de Vinici actione oratoria, non declamatione disputet.

2) Alfium Flavum declamatorem dico natum esse c. a. 730 u. c.

3) Senec. dialog. de providentia IV, 7 lego:
Prono animam loco posui tradituris; sq.

4) Dico Fritzschium errare, quod Theocrit. XV, 17 legi vult: κἦνθε, non: ἦνθε.

